

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Diabolus d  
cum fonte primo

Prius conspersionem uniuscuiusque antiquus aduersarius perspicit  
et tunc temptationis laqueos opponit.  
Alius namque letis, alius tristibus,  
alius timidis, alius elatis moribus existit.  
Quo ergo aduersarius occultus facile capiat,  
uicinas conspersionibus deceptiones parat.  
Quia leticie uoluptas iuxta est,  
letis moribus luxuriam proponit,  
et quia tristitia in iram facile labitur,  
tristibus peccatum discordie porrigit.  
Quia timidi supplicia formidant, pauentibus terrores intentat,  
et quia elatos extolli laudibus conspicit,  
eos ad quecumque uoluerint blandis fauoribus trahit.  
Singulis igitur hominibus uiciis conuenientibus insidiatur.

Gregorius libro XXIX. moralium super illud Iob:  
Diuiditur estus super terram.

Prius enim conspersionem uniuscuiusque antiquus aduersarius perspicit,  
et tunc temptationis laqueos apponit.  
Alius namque laetis, alius tristibus,  
alius timidis, alius elatis moribus existit.  
Quo ergo occultus aduersarius facile capiat,  
uicinas conspersionibus deceptiones parat.  
Quia enim laetitiae uoluptas iuxta est,  
laetis moribus luxuriam proponit.  
Et quia tristitia in iram facile labitur,  
tristibus poculum discordiae porrigit.  
Quia timidi supplicia formidant, pauentibus terrores intentat.  
Et quia elatos extolli laudibus conspicit,  
eos ad quaeque uoluerit blandis fauoribus trahit.  
Singulis igitur hominibus uitiis conuenientibus insidiatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 29.22  
(CCSL 143B, M. Adriaen ed., pp.1464-5, ll.87-97).